615.

# DISSERTATIONEM MEDICO-BOTANICAM
# *DE STYRACE*

VENIA EXP. FAC. MED. UPSAL.

PRÆSIDE
## CAROL. P. THUNBERG

EQUITE AURAT. REG. ORD. DE VASA,
MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB. HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. LOND. HOLM. AGRIC. SOCIET. SCIENT. UPS. PHILAD. PATR. HOLM. ET CIV. OECON. FINL. BEROL. NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALENS. HIST. NAT. GORENKENS. LUND. HARLEM. AMSTELD. OEcon. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS. TICINENS. IENENS. LINN. LONDIN. REG. SCIENT. PHYS. ET PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS. WETTER. NANCIENS. MED. PARIS. EMUL. MONSPEL. MED. MATRITENS. MEDIC. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET PETROP. MEDICO-CHIR. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS ET INSTITUT. NATION. MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN. SCANDINAV. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

IN AUDITORIO BOTAN. HH. SS. D. XXII MAJI. MDCCCXIII.

PRO GRADU MEDICO

PROPONIT

LAURENTIUS JOHANNES PRYTZ

ADJUNCT. EXTRA ORD. AD ACAD. IMPER. ABOËNS.
NOBILIS, FENNO.

UPSALIÆ
EXCUDEBANT STENHAMMAR ET PALMBLAD
REG. ACAD. TYPOGR.

*Tabula* exhibet
STYRACEM OCCIDENTALEM & STYRACEM GRANDIFOLIAM.

# DISSERTATIO
## MEDICO-BOTANICA
## DE STYRACE.

Arborem STYRACIS *a*) nomine abusque Dioſcoride appellatam Balſamum *b*) ſuum fragrantisſimum antiquitus nobilitavit. Cujus nomen generi tribuit Tournefort itemque Linné, una tantum ſpecie antiquorum cognita. Sequenti poſt tempore Cavanilles & Aiton ſuis quisque Botanicen ditarunt: quartam Dryander huc retulit; Illuſtr. Swartz novisſimam addidit. Quæ ſpecies quinque nobis conſtituunt genus STYRACIS, diſtinctum: *Calyce* monophyllo, urceolato, V-dentato; *Corolla* infundibuliformi, V-fida; *Staminibus* baſi coalitis, tubo inſertis; *Germine* ſupero; *Stylo* unico; *Drupa* exſucca, uniloculari, mono-di-ſperma. LINN. Genn. pll. ed. Schreb. 753. TOURNEF. 369. GÆRTN. fructt. 358. t. 59. 5.



*a*) Styrax eſt nomen græcæ vel potiùs ſyriacæ originis, a græco in latinum translatum, ex qua radice *Stiria* i. e. gutta congelata pendens, ortum habere videtur. Botanici fere omnes, exemplo Tournefortii & Linnæi, Styrace ut neutro utuntur, repugnante auctoritate antiquorum, quippe apud quos, & Græcos & Latinos, Styrax communis generis arborem ipſam, neutrius autem vel maſculini, cujus in primis eſt apud Latinos, reſinam ejus ſignificet. Quam ob rem, quum ſatius reamur ab aliis diſcedere meliora ſecuti, quam ſtudio cum vulgo errare, Styrax feminini generis plantam, præeunte etiam Lamarckio, maſculini autem reſinam, nobis ſignificabit; quamquam minime nos fugit, omnes jam materiæ medicæ ſcriptores hic feminino potius uti, ſingulari nec ſane recenti errore!

*b*) A reſina balſamum more recentiorum diſtinguimus eo, quod ardens vapores acido benzoico foetos explicet.

Eſt autem character naturalis generis noſtri: *Calyx*: *Perianthium* monophyllum, cylindricum, erectum, breve, V-dentatum. *Corolla* monopetala, infundibuliformis: *tubo* brevi, cylindrico, longitudine calycis; *limbo* III-V-VII-partito, magno, patente, laciniis lanceolatis, obtuſis. *Stamina* numero a VI ad XVI variantia, plerumque denaria: *filamentis* erectis, baſi leviter coalitis, ſubulatis, fundo corollæ inſertis; *antheris* oblongo-linearibus, rectis, loculis latere dehiſcentibus (nec apice l. baſi). *Piſtillum* I: *germine* ſupero, III-loculari, polyſpermo (Gærtn.); *ſtylo* ſimplici, longitudine ſtaminum; *ſtigmate* obtuſo. *Pericarpium*: (ex Gærtnero) *Drupa* ſupera, exſucca, ovato-globoſa, ſtylo perſiſtente terminata. *Cortex* tenuis, coriaceus. *Putamen* osſeum, fragile (ante maturitatem conſtanter III-loculare, poſtea uniloculare, evalve). *Receptaculum* columnare, fungoſum, longitudine dimidii putaminis, ovulis IV-V in ſingulo loculamento ſtipatum, per maturitatem plerumque penitus obliteratum. *Semina* matura tria, duo aut ſæpisſime unicum; illa varie angulata, hoc ovato-globoſum, amygdaloideum. *Integumentum* dupplex: exterius ſubſpongioſum, crasſiuſculum; interius arachnoideum. *Albumen* ſemini conforme, carnoſum, crasſum, album. *Embryo* compresſus, inverſus, niveus. *Cotyledones* ellipticæ, ſubfoliaceæ. *Radicula* crasſa, ſupera.

Styracem Linné Haleſiæ confudit, has plantas a ſe invicem vix diſtingui contendens, donec meliora edoctus ipſe tandem diverſisſimas esſe jure indicaverit. Locum in Syſtemate ſexuali vagum habuit Styrax, huc illuc migrare jusſa, ſtaminum ergo variantium numero ac dubie, ut auctoribus viſum eſt, coalitorum. Linné primum Icoſandriæ, dein Dodecandriæ, tum, certior de natura plantæ factus & Haleſia probe diſtincta, Decandriæ Clasſibus inſeruit, Ordine ubique Monogynia, quippe cum ſtylus ſemper ſit unicus. Quem ſecuti ſunt recentiorum plurimi, ſcilicet in auctoritate tanti viri tuto acquieſcendum rati. At contra

Ca-

Cavanilles, annuentibus Ill. Præside & Michaux, genus nostrum, cum aliis haud paucis, plus minus affinibus, sub Monadelphia Classe militare voluit; & quidem magis constanter, ut nostra fert opinio. Notam enim hujus classis cum filamenta inferne coalita habeamus, cur omnis planta eodem charactere instructa huc non referatur sane non videmus; præsertim numero staminum adeo variante ut hæc locum ei certum indicare vix possint.

Neque vero Styraci in Systemate naturali, quam in artificiali stabilior fuit locus: v. Linné, hac in re solito minus oculatus, eam Ordini naturali Bicornium adjunxit, dubius tamen, ut videtur. Forte similitudo quædam Clethræ, vere Bicornis, magnum virum in hunc induxerit errorem. Certe ab his plurimum distat Styrax; quippe cui nec competant antheræ Bicornium singulari forma bicuspidatæ, neque magis coalitio staminum in illa observanda in hanc familiam quadret. Jussieu, ut invenit in semine Styracis characteres, quibus *Guajacanas (Ebenaceas* Ventenat) distinxit: *embryonem cotyledonibus radicula brevioribus & latioribus, perispermo carnoso inclusum; radiculam adscendentem;* huic familiæ eam primo inseruit, a qua tamen satis differt, tum *seminibus in germine pluribus*, a Gærtnero observatis, tum *filamentis basi coalitis c)*. Quibus cognitis ipse Jussieu postea genus nostrum ad *Melias* transferendum statuit, & quidem jure; namque præter habitum totius plantæ *filamentorumque coalitionem, antheris gaudet elongatis, divisiones corollæ dupplo numero superantibus*, quæ ratio eadem est in *Meliis*, quarum etiam co-

---

c) In plantis alterius sectionis *Ebenacearum* (staminibus indefinitis) stamina quoque reperiuntur quadantenus monadelpha; sed quæ genera novam rectius efficiunt familiam. Juss. Anal. de Mus. 5. 420.

corolla, ploypetala *d)* licet, at calyce monophyllo instructa petalisque basi dilatatis, cum corolla monopetala profunde partita Styracis magnam certe affinitatem prodit. Qua demum comparata ad Turræam, Quivisiam, Trichiliam, Guaream, locum suum in earum Familia naturali aptissimum nec ullo modo dubium habere ulterius apparebit. Sed hactenus de genere; jam ad species ejus membratim pertractandas historia decurret.

Styrax officinalis *Tournef. Linn.*

foliis ovatis, acutis obtusisque, integerrimis, subtus tomentosis; racemis terminalibus, folio brevioribus; pedicellis subcymosis, longiusculis.

Willd. spp. pll. 2. 623. Ait. Hort. Kew. 2. 75. Cavanill. Monad. 6. 338. t. 188. f. 2. Woodw. Med. Bot. 2. 197. t. 71. Murr. App. med. 2. 80.

Descriptio.

*Truncus* XV-pedalis, arborescens vel frutescens, cortice cinereo, rugoso. *Rami* teretes, læves, brunnei; ramulis ex albido pubescentibus. *Folia* alterna, petiolata, lato-ovata, longitudine biunciali, latitudine sesquipollicari, basi rotundata, obtuse acuminata, integerrima, supra læte viridia, glabra, subtus albida, villoso-mollia: petiolis mediocribus. *Racemi* terminales, simplices III-V-flori, pedunculis longiusculis, foliis tamen brevioribus. *Flores* albi, magni. *Calyx* urceolatus, subinteger, denticulis quinque obsoletis. *Corolla* imo calyci inserta, tubo brevi; limbo V-VI-VII-partito, laciniis lanceolatis, obtusis, patentibus. *Filamenta* X-XVI, basi coalita, imo tubo corollæ inserta. *Antheræ* oblongo-lineares, erectæ. *Germen* superum, ovale, pubescens. *Stylus* tenuis, longitudine

---

*d)* Merito hæc corolla (ut & Jussieuo placuit) pseudo-monopetala dici potest.

ne ſtaminum. *Stigma* obtuſum. *Drupa* ſubgloboſa, exſucca, coriacea, includens nucem oſſeam, monoſpermam vel rarius binæ compreſſo-anguloſæ.

*Floret* Majo & Junio menſibus.

*Habitat* originitus in Oriente, in primis Syria & Palæſtina: cultura indigenam jam habet Europa auſtralior, ut inſulæ Archipelagi, Italia, Gallia, quin etiam cælum fert Angliæ auſtralis.

## Historia pharmaceutica.

Ex hac frutice Balſamum, nomine pharmaceutico *Styracis* vel *Storacis* antiquitus celebratum, liquida forma per corticem trunci ac ramulorum inciſam aut a verme vulneratam exſtillat, a ſole & vento brevi arefactum, deinde in thecas in venditionem abraditur. Styracem etiam Europa profert, ſed debiliorem, nec ullis fere medicatis viribus aut odore inſignem. Ex Oriente efficacior advectus in officinis conſervatur, cujus tres ſpecies hodie merito diſtinguuntur: I. *Styrax in granis*, optimus puriſſimusque, piſi minoris magnitudine, pellucidus, albicans vel flaveſcens, ſvaviſſime fragrans, digitis compreſſus facile deliqueſcens. Raritas ejus efficit, ut numquam in medicorum veniat uſum, ſcilicet extra muſea vix conſpiciendus. II. *Styrax præſtantior vulgari* (interdum St. in granis dictus), tenax, facile liqueſcens, ſordibus haud inquinatus, ex albis, luteis ac rufis, iisque pinguibus particulis, variæ magnitudinis ac figuræ, conſtans, ſpeciem Benzoës vel Ammoniaci præ ſe ferens, odoris Opobalſamo ſimilis, ſaporis ſubaciduli, balſamici & aromatici grati. In veſicis transfertur, at ob pretium raro in officinis obvius. III. *Styrax vulgaris* l. *ruber*, rufopiceus, levis, friabilis, tamen inter digitos in paſtam compingendus, odoris Balſami peruviani, ſaporis amariuſculi, particulis conſtans reſinoſis, ſabulo, ſcobe lignea aliisque quisquiliis intermixtis; quæ maſſa conglobata, multarum librarum pondere ad nos transvecta, unicus fere eſt Pharmacopolarum Styrax. *Styrax calamita* l. *cannulata* vere-

veterum, in calamis vel cannis collecta ac divendita, etiam *gabalita*, a Gabala urbe dicta, hodie non occurrit; tamen nomen interdum usurpatur pro Styrace vulgari. Vulgaris hic igni admotus flammam facillime trahit, odorem spargens gratum ac fumum acido benzoico fœtum. Aquæ infusæ impertitur odoris sui tantillum, saporem leniter balsamicum, colorem aureoluteum. Parum principii gummosi habet; præcipua vis in resinosa parte inest, quam ob rem spiritu vini, aptissimo ejus menstruo, ad Styracem depurandum utimur. Itemque æther hunc facile solvit, sordibus ac gummosa parte relictis. Destillatione sicca oleum empyreumaticum & sal florum benzoes simile emittit. Factitius interdum Styrax venum traditur, e serragine Balsamo peruviano imbuta, parte Styracis vel Benzoës odoris caussa admixta, compositus; quæ fraus soluta massa in spiritu vini facili negotio detegitur.

Præparata & composita

Styrax varia ingreditur; quorum præcipua sunt: Styrax depuratus *Ph. Sv.* Styrax colatus *Ph. L.* Pilulæ e Styrace. *Ph. Sv.* & *W.* Unguentum e Styrace *Ph. W.* Empl. Anglicanum nigrum *Ph.* Pulvis fumalis *Ph. W.* Essentia Benzoës composita *Ph. W.* Massa pro fornace *Ph. W.*

Usus Medicus.

Veteres Styracem ad unguenta et suffimigia multimodis usitatum, ob odorem svavissimum maximi fecere. Quare nimirum non potuerunt, quin eundem ita adamatum medicis quoque commendarent ac summis laudibus extollerent. Variis igitur in morbis familiare ipsis fuit remedium resolutionem expectorationemque promoturis, in affectionibus sc. catarrhalibus, raucedine, tussi, asthmate, exulcerationibus internis; itemque in menstruorum suppressione: sucessu tamen ambiguo. Styrax & Benzoë, cum aliis resinosis, in Phtisi, præsertim ulcerosa magnopere commendantur; quæ autem interne sumta in affectionem

nem

nem localem agere omnino nequeunt, & vis omnis, quam forsitan in hoc morbo exerceant, ad astheniam universalem stimulando sublevandam, tota pertinet. Indicata itaque sunt in magno languore & inertia totius organismi, febre haud comitante, quæ si adest, ejusmodi stimulantium tollit usum. Plus localis effecti erit exspectandum, si vapores laudatorum remediorum inspirandos præbueris phtisico vel pneumonia asthenica, chronica in primis & notha, laboranti. In affectibus nervosis Styrax & Benzoë apta stimulantia exserunt. Eadem in Hydrope, roborando, stimulando actionemque systematis vasculosi ac glandularum excitando, egregium habent effectum. Porro in fimigiorum vicem partibus, Arthritide vel Rheumatismo chronicis dolentibus, supposita maximo sæpe cum fructu usurpantur: sic quoque in Oedemate & Erysipelate inprimis œdematosa respondent. Rarior autem jam evasit Styracis internus usus, præcipuus hodie ad vulnera, in primis ligamentorum & membranarum; quibus ob balsamicam indolem forma emplastri aut ungventi applicatus medetur.

STYRAX GRANDIFOLIA, *Aiton*,

foliis obovatis ovatisve, integerrimis, subtus incano-villosis; racemis simplicibus, erectis, folia subæquantibus; pedicellis brevissimis, infimis axillaribus. Tab. f. 2.

WILLD. spp. pll. 2. 623. AITON Hort. Kew. 2. 75.

*S. Officinale* WALT. fl. Carol. p. 140.

*S. Grandiflorum* MICH. fl. Am. bor. 2. 41.

DESCRIPTIO.

*Truncus* arborescens. *Ramuli* teretes apice subvillosi. *Folia* alterna, petiolata, obovata vel supra medium superne latiora, obtusiuscula vel (quod rarius) juniora acuminata, integerrima, nervosa, venosa, subtus incano-villosa, tactu molliuscula. *Petioli* brevissimi, villosiusculi, hirsutie fasciculata. *Racemi* subterminales, levissime flexuosi, simplices, erecti, incano-pubescentes, folia longitudine fere æquantes, folio-

lo-

lo uno alterove alternante basi stipati; floribus binis inferioribus quasi solitariis, axillaribus. *Pedicelli* brevissimi, pubescentes, bracteola lineari, acuta suffulti. *Flores* S. officinalis fere majores, decidui. *Calyx* ovato-urceolatus, evidenter V-denticulatus, incano-subvillosus, striatulus. *Corolla* profunde V-partita; laciniis elliptico-lanceolatis, planis, erecto-patentibus, extus molli-pubescentibus. *Filamenta* brevia, basi infima coalita. *Antheræ* oblongo-lineares, corolla breviores. *Stylus* filiformis, corolla staminibusque longior. *Stigma* obtusum. *Fructus* —

Obs. Racemis elongatis, erectis a præcedente perbene distinguitur.

*Habitat* in sylvis Carolinæ & Floridæ.

Aiton plantam primus descripsit. Figuram hactenus desideratam tradimus secundum specimen in museo Thunbergiano, quod liberalitati Ill. Præsidis acceptum refert Academia Upsaliensis, delineatam.

STYRAX OCCIDENTALIS, *Swartz e)*,

foliis oblongis, utrinque acutis, subserratis, glabris; racemis axillaribus terminalibusque, abbreviatis. Tab. f. 1.
*St. glabrum* SWARTZ fl. Ind. occid. 2. p. 848.

DESCRIPTIO.

*Caulis* arboreus. *Ramuli* teretes, flexuosi, inæquales, cinerei, glabri. *Folia* alterna, petiolata, lanceolato-oblonga l. oblonga, basi apiceque acuta, subinde acuminata, obsolete serrata l. sæpe integra, nervosa, venosa, glabra, subtus pallidiora, laurina, longitudine III-IV-pollicari, la-

e) Non dubitamus repertoris auctoritatem novato etiam nomini præficere, quum minime sine bona mente ac monitu ipsius denominationem, a tanto viro nobisque tam æstimato sancitam immutare, ausi fuerimus; ipse enim nobis significavit hoc nomen sibi melius placere, ut, cum Cavanilles aliam Styracem nomine *glabri* insignierat, confusio omnis nominum tolleretur.

latitudine ultra biunciali. *Petioli* breves, unguiculares, compressi, glabri. *Racemi* axillares & terminales, petiolis triplo vel quadruplo longiores, folio tamen breviores, simplices vel subcompositi, III-VI-flori, leviter deflexi; pedunculis pedicellisque angulosis, cinereis: stipul foliaceæ ad basin pedicellorum. *Flores* subsecundi, magnitudine St. officinalis, nutantes, decidui. *Calyx* urceolatus, subpentagonus, obsolete denticulatus, coriaceus, glaber. *Corolla* coriacea, ante explicationem pentagona: *tubo* brevissimo, cylindraceo, pallido; *limbo* V-partito, laciniis oblongis, concavis, patentibus, subcoriaceis, extus albidis, intus fulvis. *Filamenta* X, brevia, subulata, basi interne hirta, latiuscula, imo fundo leviter coalita, tubo inserta. *Antheræ* lineares, filamentis longiores, erectæ. *Germen* ovatum. *Stylus* longitudine staminum, crassiusculus, fulvus. *Stigma* simplex, obtusiusculum. *Fructus* —.

Obs. A præcedentibus glabritie omnium partium, foliisque utrinque acutis, a S. Benzoin racemis paucifloris folio brevioribus et foliis subtus glabris, a. S. lævigata præcipue inflorescentia, oppido differt.

*Habitat* in India occidentali, Caribæis insulis, præsertim St. Vincentii.

Cognitio plantæ Ill. Swartz debetur, cujus descriptio exstat in flora sua Indiæ occidentalis l. c., at præter eum nemo mentionem habet hujus speciei, ne quidem Willdenow, quem tamen libri citati ignarum haud facile crederemus. Conjicimus consummatissimum illum botanicum, similitudine nominum deceptum, hanc pro Cavanillis eadem, nulla scrutatione instituta, habuisse; et sic quidem res explicationem, non excusationem, inveniret. Ill. Swartz, quæ sua est in scientiæ studiosos voluntas propensa ac singularis benignitas, nobis, tot totiesque easdem expertis, nec sane debitæ talium suorum munerum gratiæ referendæ paribus, figuram propria manu exaratam tradidit edendam.

STY-

STYRAX BENZOIN *Dryand.*

foliis oblongis, acuminatis, ſubtus tomentoſis; racemis compoſitis, longitudine foliorum.

DRYANDER in Philoſ. Tranſact. Vol. 77. p. 308. t. 12.
WILLD. ſpp. pll. 2. 623.
*Benjui*, GARCIAS AB HORTO in Cluſii Exoticis p. 115.
*Arbor Benzoini*, GRIM in Ephemer. Ac. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 1. p. 370. fig. 31. SYLVIUS in Valentini Hiſt. ſimplic. p. 487.
*Benzuin*, RADERMACKER in Act. ſociet. Bat. III. 44.
*Benjamin* or *Benzoin*, MARSDEN Hiſt. of Sumatra p. 123.
*Croton Benzoë*, LINN. Mant. II. 297.
*Terminalia Benzoë*, LINN. Suppl. pll. 434.
*Laurus Benzoin*, HOUTTUYN in Act. Harlem. XXI. 265 t. 7.
WOODW. Med. Bot. p. 200. t. 72.
MURR. Appar. med. IV. 540. 658.

DESCRIPTIO

*Caulis* arboreus. *Rami* teretes, tomentoſi. *Folia* alterna, petiolata, oblonga, acuminata, integerrima, venoſa, ſupra glabra, ſubtus tomentoſa, palmaria & infra. *Petioli* teretes, ſtriati, canaliculati, tomentoſi, brevisſimi. *Racemi* axillares, compoſiti, longitudine fere foliorum. *Pedunculi* communes tomentoſi; partiales alterni, patentes. *Pedicelli* brevisſimi. *Flores* ſecundi. *Calyx* campanulatus, obſolete V-dentatus, extus tomentoſus, linea longior. *Corolla* V-partita, laciniis linearibus, obtuſis, extus tomento brevisſimo cinereis, calyce quadruplo longioribus. *Filamenta* baſi tubi corollæ inſerta, in cylindrum inferne connata, petalis breviora, infra antheras ciliata. *Antheræ* lineares, filamentis longitudinaliter adnatæ iisque dimidio breviores. *Germen* ovatum, tomentoſum. *Stylus* filiformis, ſtaminibus longior. *Stigma* ſimplex. *Fructus* —

He-

*Habitat* in Sumatra, in parte insulæ septentrionali & media.

Probabile est veteres Botanicos, Garciam, Sylvium & Grim, veram arboris Benzoën proferentis habuisse notitiam; at descriptiones plantæ adeo mancas verisque notis botanicis nudas tradidere, ut posteriores in multiplices induxerint errores. Mirum autem est, omnes fere Materiæ medicæ scriptores sæculi insequentis, haud quidem ignaros Benzoës substantiæ ex orientali tantum India advectæ, eandem nihilo tamen minus a Lauri specie, Virginiæ indigena, derivatam voluisse; quam hallucinationem Dryander, probabili allata ratione, Rajo originitus tribuit. Magnus ille Linné errorem commissum, se non fugientem, sublaturus in alium delapsus est, plantam Benzoë stillantem ex habitu fruticis culti, fructificatione haud conspecta, Crotonis generi inserens. Quam deinde plantam Filius ejus Terminaliam angustifoliam, eamque Benzoës genitricem, levi nimis argumento arbitratus, longius fere cæteris a vero aberrauit. Postea Houttuyn arborem genuinam descripsit, sed speciminibus completis ut erat destitutus, de genere ejus hallucinatus est Laurum statuens. Banks tandem specimina exsiccata, floribus ornata, opera Marsdenii sibi comparauit, quorum ope Dryander eo pervenit, ut lucem ambiguæ multumque agitatæ rei affundere, ac generi Styracis Benzoën certo adscribere, jam potuerit.

Historiam Pharmaceuticam

Benzoës antea jam ita absolvit Ahl dissertatione medica, Ill. & Cel. eodem, quo nos, Præside gaudens, ut nullam fere copiam aliquid adjiciendi nobis reliquerit. Ne igitur acta agere videamur, pauca tantum, quæ ab eo dicta non sunt, addere placet. Arbor sua sponte crescens provectiore ætate vasta ac procera evadit, teste Garcia; quæ vero Benzoës habendæ caussa coluntur, post sex annos, quando jam truncus diametrum circiter septem polli-

pollicum habere solet, exscinduntur. Cortex ad lignum usque inciditur supra exortum ramorum, unde balsamum emanat, quod sole & aëre coagulatum cultris ligneis abraditur. Ultra tres libras arbor largiri non valet, nec ultra decem aut duodecim annos incisiones ejusmodi patitur. Purissima benzoë primum profluens, alba, mollis ac fragrans, *Cabessa* dicitur; vilior subfusca, dura est, quæ longiore in arbore mora arenam aliisque sordes contraxit. Eschelskron (Beschr. v. Sumatra) tres distinguit Benzoës species: I. *Camaijan-poëti*, albissima, venis rubris intercurrentibus; ad nos non transvehitur. II. *Camaijan bamatta*, impurior, brunnea, fragilis, albis moleculis intermixtis, copia sua pretium statuentibus. Hujus frustulæ constituunt præstantiorem, quæ in officinis prostat, Benzoën, nomine *Benzoës amygdaloides* l. *Assæ dulcis*. III. *Camaijan-itam*, nigra, maxime impura, fumigiis tantummodo inserviens. *Benzoë in sortis* Pharmacopolarum, aut hæc est, aut omnino factitia. Benzoinum carbonibus candentibus in testa impositum vaporem emittit album svaveolentem, qui in vase alio receptus, in crystallos concrescit tenues ac splendentes, omnibus acidi specifici signis notabiles; quod acidum, benzoici nomine, balsamum nostrum reddidit insigne *f)*. Cujus acidi qualitates chemicas, cum variis ejusdem obtinendi methodis, ut sublimatione, destillatione, decoctione, solutione in alcali, fusius exponunt Chemici; ad quos itaque lectorem harum rerum studiosum dimittere cogimur, cum a nostro nunc proposito longius absint.

E.

---

*f)* Benzoë non una quidem, sed aliis ditior, hoc acidum habet; quod GÖTTLING in *Balsamo peruviano*, RETZIUS in *Balsamo Tolutano* & *Storace*, LAGRANGE in *radice Calami*, *siliquis Vanillæ Storaceque*, LOWITZ in *corticibus Cinnamomi* ac *Betulæ*, FOURCROY et VAUQUELIN vel in *urina animalium hebivororum*, in *felina* GIESE, in *humana eadem* SCHEELE et alii in aliis præterea reperiere. Atque exspectandum est analysin chemicam idem in multis substantiis adhuc fore indigaturam.

E PRÆPARATIS & COMPOSITIS

præter *Flores benzoës* Ph. W. (*Sal benzoinum* Ph. Sv. melius dictos) nominanda sunt: *Essentia benzoës simplex* Ph. W. *Essentia benzoës composita* Ph. W. *Oleum benzoës* Ph. W. *Balsamum e benzoë* Ph. Sv. *Pilulæ pectorales* Ph. Ed. *Massa pro phornace* Ph. W.

USUS MEDICUS.

Rarissime Benzoë in substantia interne sumitur, sed in variis præparatis & compositis præsertim cum antimonialibus, alcali volatili, Senega, Scilla, syrupis cet. juncta, propinatur. In affectionibus pectoris febre destitutis, ut tussi inveterata, asthmate, obstructionibus aut indurationibus pulmonum, Phthisin minitantibus, olim maxime fuit commendata; de qua & aliis ejusdem commendationibus satis dictum est, quum de Styrace egimus. Benzoës, ut & Styracis similiumque, pro suffimigiis, ad aërem fœtidum corruptumque corrigendum ac purificandum, usus ne quidem hodie plane exolevit, licet facile sit perspectu, fumum ex his ortum involvere quidem & fragore forsitan fœtores vincere posse, minime vero auræ, aut oxygenio orbatæ, aut principio per se nocenti gravidæ, vere sanæ puræque reddendæ parem esse; quæ autem methodus nobis certe eorum similis videtur, qui animæ foetenti fragrantibus rebus ore masticatis mederi studeant.

STYRAX LÆVIGATA *Willd.*

foliis subovatis oblongisve, glabris, denticulatis; pedunculis axillaribus, unifloris, subsolitariis.

WILLD. spp. pll. 2. 624.

*S. glabrum* CAVANILL. monadd. 6. p. 340. t. 188 f. 1.

*S. americana* LAMARCK encycl. 1. p. 81. n. 2.

*S. læve* WALT. Carol. p. 140.

DESCIPTIO.

*Caulis* arborescens. *Rami* teretes, læves, cortice brunneo. *Ramuli* fasciculis pilosis, substellatis obsiti. *Folia* alter

ter

terna, ovata l. lanceolato-ovata, ſubdenticulata, II-III pollicaria, glaberrima, ſaturate viridia, ſubtus pallidiora. *Petioli* breves, baſi incraſſati. *Pedunculi* axillares, ſolitarii l. bini, uniflori, ſemipollicares. *Flores* albido-ceracei, nutantes. *Calyx* turbinatus, denticulis V, brevibus, erectis. *Corolla* candida, V-partita, laciniis lanceolatis, apice recurvis. *Filamenta* baſi in urceolo albo unita, corollæ tubo inſerta. *Antheræ* oblongo-lineares. *Germen* orbiculatum. *Stylus* ſtaminibus longior. *Drupa* ſphærica, calyce cincta, inæqualiter fisſilis, foeta nucleo osſeo, ſphærico, ſubſtriato, monoſpermo. (Cavanilles.)


Obſ. variat floribus octandris, *Lamarck* & hexandris, *Michaux*.

*Floret* Majo.

*Habitat* in uliginoſis Carolinæ & Georgiæ.

St. pulverulenta foliis parvulis, ſubſesſilibus, ovalibus, non acuminatis, ſubtus quaſi pulverulento-tomentoſis; floribus axillaribus & ſubterno-terminalibus, brevisſime pedicellatis: *Mich.* fl. Am. bor. 2. 41. An hæc ſit ſpecies diſtincta, vel varietas tantum *St. grandifoliæ*, cui certe maxime affinis, perſpicuum non eſt, quum nec plantam vidimus, nec deſcriptam habet Michaux, qui ſolus mentionem ejus intulit.

Præter jam nominatas alia forte planta generi Styracis erit adjungenda, certe ſumma affinitate cum noſtris cohærens, ſcilicet Strigilia *Cavanill.* Monadd. 7. p. 358. t. 201. *Willd.* ſpp. pll. 2. p. 551.; quæ tamen, quum a Styrace videatur fructu ſatis differre, melius ſuum conſtituit genus, donec perfectius noſcatur. Jusſieu tamen habet hæc in Annal. de Muſ. d' Hiſt. Nat. 5. 419. "Le "*Strigilia* de *Cavanilles* ou *Foveolaria* de *Ruiz & Pavon*, qui "appartient certainement aux Meliacées, ne peut ſeloigner "du *Styrax glabrum* de Swartz, dont il eſt congenere, et "par ſvite il deſcendra une eſpece nouvelle de l'ancien "Genre, qui ſera ramené aux Meliacées"!






1. **Styrax** *occidentale*
2. **Styrax** *grandifolium*